

Vera ad veram medicinam via, / a Io. Melchior. Verdries, D. med. et philosoph. nat. P.P. sub auspiciis professionis medicinae extraordinariae, primis lineis designata.

Contributors

Verdries, Johann Melchior, 1679-1735.
Sloane, Hans, Sir, 1660-1753
British Museum

Publication/Creation

Gissæ : Typis et impensis Ioannis Mulleri, M DCCXIV. [1714]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/q6gy2tq7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

63393/B


The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

VERDRIES, J.M.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

^{W4}
<https://archive.org/details/b30550816>

VERA

N^o 1099

AD

VERAM MEDICINAM

VIA,

A

IO. MELCHIOR. VERDRIES,

D. Med. et Philosoph. Nat. P. P.

Sub

Auspicia

Professionis Medicinae

Extraordinariae,

primis lincis designata.

Duplicate

GISSAE,

Typis et impensis IOANNIS MULLERI,

cl^o 1000XIV.

MUSEUM
BRITAN
NICUM

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787



*Magnifice Domine Rector,
Procures Academiae Excellentissimi,
Vosque, quotquot adestis, Auditores omnium
ordinum suis quisque elogiis con-
decoratissimi.*



ARtem mortalium seruatricem, illam;
certissimo diuinæ bonitatis ac miseri-
cordiæ argumento, hominibus conces-
sam dulcissimam vitæ matrem, qua, si
omnes omnium artium commoditates,
facultates ac copias dispiciamus, nihil
est melius, nihil optabilius, nihil deni-
que hominum generi datum præstabilius, longius præ-
aliis a sua perfectione abesse, merito, vti candide agno-
scunt, ita acerbè dolent omnes, quotquot, publico iuuan-
di amore et artis veneratione excitati, ad perfecti Medici
nobilitatem generoso impetu grassantur. Auditur vbi-
que Principum in arte et ab erectiore indole commenda-
torum Virorum querela: Vah quantum est quod nesci-
mus!

mus ! Equidem nil frequentius aut magis usitatum est hodie , quam summam seculi felicitatem gaudiis exultante praedicatione efferre , quod per dimidium seculi et ultra , eminentiora Europae eruditae lumina , excusso sectarum iugo atque introducta et sentiendi et quae cum ratione sentimus dicendi libertate, effecerunt, vt, instauratis scientiis, magno egregiorum vtilissimorumque inuentorum * numero superiora tempora

* Refertissima sunt his inuentis recentiorum eruditorum scripta, Diaria, Collegia curiosa, Acta, Ephemerides, Transactiones, Zodiaci, Gallorum Memoires, Bibliothecae, Epistolae, Historiae, Commentarii, quae cum integrarum Academiarum, Collegiorum, Societatum, tum plurium priuatorum labores complexa, in vsus nostros prostant. Neque tamen sine ratione prudentiores existimant : tantum adhuc desideratorum (de quibus Clar. Velschius, in *Somnio Vindiciani*) numerum esse, vt inuentorum partem decuplo si non centuplo superent. Interea, quemadmodum laudare par est, tum eos, qui explanarunt quae sunt a veteribus inuenta et recte tradita, tum vero qui, si quid omissum est, id supplerunt : ita optandum esset, vt, prudenti selectu, suo quaeque loco reponerentur, conuenienter vbique ad scientiarum et artium vtilitatem referrentur, atque ita curiositas, quae vera et vtilia sciendi cupiditatem, solertiam et alacritatem indagandi ac sollicitudinem denotat, non ad illa, quae scire nihil interest, sed ad finem, quem quisque sibi proposuit et ad tales inuentiones dirigeretur, quae laboriosam solari possent diligentiam. confer. Frid. Schraderus, Prof. Helmstad. celeb. *de Curiositate Medica*. Palmaria superioris seculi inuenta eleganter recensent Ger. Leon. Blasius, Amstel. *Orat. de Noviter Inuentis*, et Georg. Segerus, Gedanensis, *Orat. de Curiositate Physica*, quas binas orationes elegantissimas exhibet Cornel. a Beughem in *Syllab. recens exploratorum*. Idem egerunt Clar. Wegleiterus, *Orat. de Palmaris seculi nostri inuentis*, aliique Viri celeberrimi a doctiss. Paschio in *Praefat. ad Inuenta Non-Antiqua* laudati, Inuenta Anatomica speciatim

pora longissime superare videamur : cum nulla fere disciplina sit , quae se non commendet nouo cultu eximioque sibi circumposito ornatu. Ad Medicinam speciatim quod attinet ; est profecto aliquid , tot illustribus et gloriosis accessionibus locupletiore factam et a tot tantisque erroribus eandem aequae ac discentium mentes fuisse repurgatam. In ipsa tamen , quam merito agnoscimus , et praedicamus , exoptata hac felicitate , longissime ab exoptato fastigio illam abesse , id vnicum argumenti

A 3

fatis

ciatim congeffit et proposuit Illustr. Francus a Franckenau in *Bonis Nouis Anatomicis* : Botanica eleganter tradidit Celeberr. atque Excell. Nebelius, *Orat. de Nouis huius seculi inuentis Botanicis*, A. 1694. Marburgi in lucem emissa. Recentissima quaedam Inuenta Medica exponit G. Desnoues, *Anat. et Chirurg. Profess. Bononiens.* in *suis atque Dn. Guilielmini aliorumque eruditorum Epistolis , de variis inuentis nouis*. Quo pertinent etiam Eliae Camerarii, *Consil. et Archiatr. Wirtemb. et Profess. Tubing. Excellent. Dissertationes Taurinenses et Ecclesiasticae Medicinae ac Physicae Specimina miscellanea*, praestanti eruditione pariter ac plurimis inuentis recentiorum nouis conferta et solidi iudicii plenissima. Prae omnibus aliis vero scientiarum et artium augmenta atque inuenta doctissime enumerat laudatus modo Georgius Paschius, *Professor Kiloniens.* Celeberr. beatae nunc memoriae, in elegantissimo *Tractatu de Nouis inuentis, quorum accuratiori cultui facem praetulit Antiquitas*, vbi id simul egit, vt vestigia horum inuentorum et documenta, quae apud veteres comparent, inquireret; quo in negotio, in iis tantum, quae ad Medicinam spectant, praeuantes habuit Theod. Iansson. ab Almelo-veen, *de Inuent. Nov-Antiquis*, et Phil. Iacob. Hartmannum, *Medicin. et Histor. Profess. Regiomontanum, de iis, quae contra peritiam veterum anatomicam afferuntur*. Quantum vero requiratur, vt quis Auctor, Inuentor, Obseruator alicuius rei dici atque inuentionis gloria in eum deferri queat, solide ostendit Archibaldus Pitcairnius, Scotus, in *Solut. Probl. de Inuentoribus*, *Opuscul. p. 86.*

fatis est, quod natis in seculi et artis opprobrium diffensionibus non minus ac olim subiaceat et in tot diuisa sectas tam variis atque contrariis opinionibus, quibus Medici altercari inter se ac digladiari consueuerunt, veluti procellis et fluctibus iactetur, nec ea vbique veritatis luce ac euidencia, quae omnium pariter perstringat oculos et nullum dubitandi locum, apud eos saltem, qui rationes capere possunt, relinquat, conspicua sit. Scilicet, si dicendum quod res est: haec prima malorum labes. Hic ipse peruersitatis fons est: quod fastidita ac neglecta simplici ac plana, quam nobis ipsa Natura pandit via, effreni fingendi licentia in diuersa dilabamur, in acumine ingenii magis quam in Natura quaeramus artem, et seculi prurientis fallacia in hypotheses et praeiudicia proni ea magis, quae concipi, quam quae videri palpariue aut demonstrari possunt rimemur.

Si praeteritos reuocemus dies atque retro in secula mentis oculos vertamus, inter eos, qui literarum monumentis Medicinam amplificarunt, primus occurrit HIPPOCRATES, Cous*, eximius vir, ingenio et tot seculorum

* Ante Hippocratis tempora nullus ex claris Medicis reperitur, qui Medendi artem scriptis tradiderit. Tum temporis enim aut apud rudes empiricos aut sapientiae Professores haesit Medicina. *Primo*, verba sunt A. Corn. Celsi *Praefat. ad libr. de Medicina*: *medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio et rerum Naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit: scilicet his hanc maxime requirentibus, qui corporum suorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaue vigilia, minuerant. Ideoque multos ex sapientiae Professoribus peritos eius fuisse accepimus: clarissimos vero ex his Pythagoram et Empedoclem et Democritum. Huius autem (ut quidam crediderunt) discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis, ab studio sapientiae disciplinam hanc separa-*

rum experimentis excultus, qui planissimae Naturae viae recte insistent, sagaci notatione Naturae et animadversione illorum, quae sensus et observatio attenta assequitur, eorum perduxit, ut scripta ipsius, sub illa Medicinae, paucarum herbarum aut remediorum usu circumscriptae, infantia, hominis ingenium superare videantur, et, cum dignitate rerum, tum veritate tot posteriorum temporum observationibus confirmata, omnibus in hunc usque diem reconditam et admirabilem viri doctrinam, consummatam experientiam et edecumatum iudicium commendent, ac velut inuitis applausum extorqueant. Causam quaeritis Auditores? Ciceronis illud cogitate: *Opinionum commenta delet dies; Naturae iudicia confirmat* *. Eoque minus mirari subit, sequentibus temporibus, ubi cum veterum opinionibus et fama ipsorum exoleuit, folius tamen Hippocratis existimationem et auctoritatem, etiam apud rigidiores Antiquitatis censores et osiores, illaesa et in honore persistisse. Eo magis vero optandum esset, ut posterius genuinam huius viri seu potius Naturae methodum constanter et cum vigore persecuti fuissent, ac Naturae bene maleque habentis vias eiusque leges, quas suis praescripsit motibus, pari studio et solertia notassent, meliori sane loco artis diuinae et in se certissimae res essent, nec in hunc usque diem calumniam sustineret eorum, qui temere de ea iudicant, multo minus

separavit, vir et arte et facundia insignis p. m. 3. Natus est Hippocrates Olympiade LXXX, cum Artaxerxes Longimanus (μακρόχρεος) rerum potiretur. vid. Vossius *de Philosoph.* Cap. XI. §. 9. et ante Christum natum 452. secundum alios anno mundi 3498. quod eodem fere recidit. Galenus ei testimonium perhibet *L. de atr. bil. c. 7. Eum fuisse virum integerrimum, honestum, bonum, non honoris, non gloriae, sed veritatis amatorem: cui omnes intelligentes consentiunt.*

* de Nat. Deor. L. II.

minus infimis et indignissimis histrionibus, mimis et momis occasionem praeberet, satyris eandem proscindendi et venenatos suos sales in eam effundendi.

At vero, quae rerum humanarum vicissitudo ac lubricorum ingeniorum a veritate ad errores procliuitas est, deflexerunt posteriorum aetatum Medici a regia hac ad veram Medicinam via, siue quod peaestantiam doctrinae Hippocraticae non caperent, siue quod ad inanem Philosophiam pro more seculi ducerentur, siue quod lucri vel gloriae immensa cupidine excoecati utilitatem et veram artis culturam, prae istis, insuper haberent et contagiosa inclarescendi libidine, quod Prudentiorum de plurimis subsequen- tium temporum Medicis iudicium est, facili calamo ludere mallent, quam cum Hippocrate difficilem et operosam experientiam annotare, in verbis effusi et liberales, rerum vero momentis inanes aut etiam dum sibi maxime placent et in sinu gaudent inepti. Ita non poterat non fieri, quin genitis ex errore erroribus, illi magis augescerent, quo longius protraherentur, veluti qui calculi arithmetici vitio contingunt errata, ut sint in principio leuissima, quo longius ille producit, eo fiunt maiora, aut sicut minimus in horologio error, eo maiora augmenta capit, quo longius, haud animaduersus, procedit.

Possem hic omnem priorum temporum memoriam reuoluere atque prolixè cumulateque commemorare, quomodo GALENVS, Pergamenus*, longo, post magni Hippocratis tempora, interuallo, primus ingenii summi et in Medicina infatigabilis laude non minus quam vasta volumi-

* Claudius Galenus, Pergamo ex Asia oriundus, sexcentis circiter post Hippocratem annis vixit. Emeruit iam sub Traiano, effulsit atque floruit sub Antonino Philos. Commodò, Helu, Pertinace, Did, Iuliano, Clodio Albino et Severo.

voluminum mole inclaruerit; nihil tamen aliud ad artis incrementum contulerit, quam quod ineptis de structura et usu partium sententiis et precariis quatuor humorum, elementorum et qualitatum primarum, quibus Aristoteles Naturae inquisitoribus iam fucum fecerat, opinionibus, multisque alienis, usu cassis, nec quicquam sensus et rationis habentibus philosophicis neniis, egregium ab Hippocrate acceptum nucleum magno putamine inuoluerit*. Quam coeco in Praeceptorem amore iunio-

* Habet suas laudes Galenus, maximisque eminuit ingenii felicitatis dotibus; ab omni quippe eruditione atque Asiatica imprimis illa eloquentia, de qua vid. Voss. in *Inst. Orat. L. 17. c. 6.* instructissimus; unde nemo eo plura aut maiori undique doctrina scripsit. Interea non est dissimulandum, sunt verba Excell. Schelhammeri, ingenui atque aequissimi hac in parte iudicis, in *Add. ad Conring. Introd. in univ. Art. Med. C. 11. §. XVI. p. 64.* in eo viro hoc vitium fuisse maximum, quod speculationibus nimium quantum indulgens et analytica, qua excellerebat, scientia securus, pateretur a cogitationibus propriis ita se abripi in praecepta, ut licet experientia et logica arte supra omnes reliquos mortales esset instructissimus, ea tamen saepius neglecta, elegantiam systematis artis Medicae praeferret veritati: ex quo uno errore sexcenti alii ipsi acciderunt. Quorum meo iudicio est praecipuus, quod quatuor primis sic dictis qualitativis plerasque omnes, cum morborum, tum virtutum simplicium causas tulit acceptas: alter quod facultatum inane nomen in scholas attulit, iisque functiones partium adscripsit. Idem celeb. vir in *Introd. ad Physiolog.* cum scripta Galeni laudaret, ut autem, inquit, in scriptis eius multa gratis dicta reperiri, negari non possit etc: ut etiam hoc verum sit, Galenum ingenii excellentia fretum ac instructum summa facundia ac arte persuadendi, saepe nobis pro demonstratis obtrudere, quae vel ipse nondum satis habuit perspecta (nec semper in tanta artis infantia habere potuit) vel verisimilitudine seductus, et quod eleganter pleraque et commode sic explicari posse ipsi viderentur,

juniores Graeci sputa huius lingere in deliciis habuerint*? Quomodo introducta his temporibus inanis Philosophia pestis fuerit Medicinae? Quomodo haec ad Romanos delata stylo tantum mutata fuerit? Quid Arabum** praeda facta passa sit? Quomodo, a metaphysici ingenii hominibus, misere dilaniata tot logicis quaestionibus, tot fabulis, tot superstitionibus et mendaciis fuerit obruta? Quam laudabili conatu, postea, plures praestantes ingenio viri eidem male habitae suppetias ferre ac Medicinae medicinam facere studuerint***? Quantum dehinc Medi-

non satis expenderat. Quin tandem et hoc addam, multum ipsum dedisse systematis elegantiae, atque in id allaborasse, ut omnia pulchre sibi constent, hincque finxisse nobis quatuor in sanguine humores, quatuor primarum qualitatum nimis ampliasse regnum, ipsisque tantum non in uniuersam naturam supremam dedisse potestatem, et multa eius generis alia perperam excogitasse. Ut adeo et hic verissimum sit Senecae illud: Incredibile est, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducatur a vero.

* Hi, vna cum aliis posterioris aevi Medicis, ut obseruauit vir Excellent. Bernh. Albinus, Archiat. et Consil. Reg. Boruss. et Profess. Med. Lugdun. Batau. *de Ort. et Progr. Medicin.* ad conspectum operum Galeni, quasi Medusam vidissent, fiebant lapides, cum ad maiora incitamento illis esse debuissent. Illum Medicorum Pontificem maximum, diuinissimum, mare eruditionis, oceanum disciplinarum, omnium ingenuarum artium promumcondum et bibliothecam, imo herosa potius ac daemonem quam hominem dicebant; et quod Prosper Martianus *in Praefat. ad Hippocrat. Interpr.* annotauit, Hippocratis dogmata ac praecepta in tantum esse accipienda, contendebant, in quantum a Galeno recepta inuenirentur.

** De Claris Arabum Medicis vid. Vossius *de Philosoph. Cap. XIV.* Conring. *l. c. C. III. §. XXI. seqq.*

*** Seculo XV. et XVI. ubi excitatiora ingenia in id incubuerunt,

Medicorum illi Attila atque Flagellum, PARACELSVS et HELMONTIVS, viri quidem perspicaces, sed sibi sapientes, ingenio elati, doctrinae qualiscunque laude, modestiae tamen et integritatis non aequae conspicui, felices errorum detectores, sed et promocondi, introducto Chymiae studio artis incrementa et iuuerint et morati fuerint? Qua ratione illustris DES CARTES, vir ad sublimia quaeque natus et ingentis alias meriti, speciosis hypothefibus, inconsulta Natura, artem mere rationalem effecerit? Quae SYLVII Triumviratus fata fuerit expertus? Quantum, huius, Cartesii et Chymicorum placitis simul addicta secta, cui non vno nomine celebratus CORNELIVS a BONTEKOE facem praetulit, turbarum dederit in re medica? Quid solis sine vsu ratiociniis, vtut omnino plausibilibus, profecerit? Quomodo acido suo et viscido * non minus ac acido et alcali ** Chymicorum quidam, nobis illuserit, et nimia sanguinis humani parsimonia nec non calidissimis vbique remediis prae aliis perniciofa fuerit? Quomodo Medicorum deliciae, optimus WILLISIVS, Anglus, exulta prudenter Anatomia nervorumque artificiose detecto systemate, rectae quidem viae institerit, sed vbi ad rem ventum erat, incognitas Naturae metaphoras ac sine distincta significatione nomina in Medicinam intulerit; quae tantum interea lucis, ex ipsis tenebris, aliis subministrauerint, quo propius ad quaesitam veritatem peruenirent? Quousque

B 2

Medi-

runt, vt observationes rite consignarent atque per eas ad certitudinem, quantum illac liceret, in Medicina peruenirent.

* Vid. inprimis Frid. Hoffmannus, Archiat. et Consil. Aul. Boruss. nec non Profess. Med. Hallens. Primar. *de Acido et Viscid. Dissert. Epistol.*

** Vid. Io. Bohnii, Profess. Lipsiens. longe celeberr. *Epistol. ad Cel. Langelottum, de Acidi et Alcali insufficient.*

Medicorum sic dictorum mechanicorum se extendant merita? In quantum Medicina sic dicta mechanica, vere sit mechanica *? Quo loco nostra aetate artis praestantissimae res sint?

Possẽm inquam curatius haec omnia persequi ac recensere, si temporis et instituti ratio ferret aut permetteret. Id saltem paucis addidisse licebit: Medicos posterioris aevi viam regiam Hippocrati tritam deseruisse, partim auctoritatis praeiudicio, quod veritatem crederent iam occupatam, nimioque sectae amore **: partim quod viae

* Medicinae mechanicae vere ita dictae, illustria specimina nobis exhibuit Archibaldus Pitcarnius, Scotus, qui vestigiis Ioh. Alphons. Borelli nec non Laurentii Bellini insistens, et ab Anatomiae cultioris, tum Matheseos scientia instructissimus, ultra quam sperare potuissemus, progressus est: nec non summi ingenii politissimaeque eruditionis vir, Gothofred. Berger, Archiater Regius et Profess. Med. Wittenberg. Primar. de *Natura Humana*, de *Natura Morborum Medico*, *Secretione animali*, aliaque similia doctissima pariter et elegantissima. Sicuti Clar. Boerhauui, aliorumque saniorum doctissimorumque recentiorum scripta elegantissima hunc incensum quoque veniunt. Eandem vero, ab imputationibus quorundam iniquis, immunem praestitit doctissimus Suecus, Christianus Stroem, edito libello, cui titulus: *Ratiociniorum mechanicorum in Medicina usus vindicatus*, Lugd. Bat. cl. 1707. nec non Clar. Italus, Ioseph. Donzelini, Ant. Fil. in *Symposio Medico sine quaest. Connival. de Vsu Mathematicat. in arte Medica*, Venet. 1707.

** Verissime Seneca Ep. 33. Isti, inquit, qui nunquam tutelae suae fiunt, primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non a priore descivit: deinde in ea re sequuntur quae adhuc quaeritur; nunquam autem inuenietur, si contenti fuerimus inuentis, Praeterea qui alium sequitur, nihil inuenit, imo nec quaerit. et Ep. 123. Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine

viae experimentalis longioris pertaesi de veritate inueni-
nienda desperarent : partim quod amoenis Philosopho-
rum ratiociniis, verisimilibus, coniecturis se facile capi
paterentur, et sic de curiosis magis quam vtilibus, spe-
ciosis quam veris solliciti fuerint. Verissime seculi sui
Pharus, Illustris ille Angliae Cancellarius: *Postquam*, in-
quit, *homines de veritate inuenienda semel desperarunt, omnia*
fiunt languidiora, ex quo fit, ut desleant potius ad amoenas
disputationes et rerum quasdam peragrationes, quam in veri-
tate inquisitionis se sustineant. Ita nempe nodos difficilio-
res, quos ratione expedire debebant, commento ingenii
soluunt, nihil interesse rati quomodo soluantur. Au-
sim affirmare : et quid ausim ? cum res ipsa loquatur :
nil magis, ab omni antiquitate, Medicinae incrementa re-
tardasse, quam inania sed amoena Philosophorum placita,
quae non aliter ac lepidae voce Poetarum fusae fabulae
ipsa suauitate nocuerunt. Inprimis cum dulcissima haec
philtera siue amoris pocula non solum animis noceant *,
suauissima deliria pariant, et vim furoris **, vt est apud

B 3

Poëtam,

ne abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari: cum
plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, se-
quimur; et recti apud nos locum tenet error, ubi publicus fa-
ctus est; quibus gemina habet l. de vita beata cap. l. Dignis-
sima est, quae hic legatur, Archib. Pitcarnii Oratio, qua osten-
ditur, Medicinam ab omni Philosoph. secta esse liberam.

* *Falsae opiniones obsidentes animas hominum, eos non modo surdos*
sed et coecos reddunt. Galenus L. VIII. de Compos. Med.

** *Teste Tyrannide Philosophorum hinc inde in Historia Lite-*
raria et Philosophica, obuia. Parisienses Anno 1624. non
solum in exilium eiecerunt, qui a communi Aristotelicorum
doctrina discederet, sed et edicto fanciuerunt, ne quis con-
tra veteres et probatos Auctores vlla dogmata teneret aut
traderet sub poena capitis. vid. Io. de Launoy, de varia Ari-
stotelis fortuna in Academia Parisiensi, C, XVI.

Poëtam , habeant , sed etiam profundius serpent , ac difficillime expelli se patiantur. *Nulla enim , secundum Galenum ** , est tinctura , quae tam difficulter eluitur , ac ad falsa dogmata , citra rationis iudicium , animi affectio : quae in his educatis dissuadere non poteris.

In procliui hinc est perspicere , quantum genuini Medicinae cultoris interfit , probe exploratum habere , qua sit in hac confusione eundum , et quaenam sit regia illa via , qua et amabilis veri particeps reddi , et in verae artis possessionem tuto peruenire queat. Cumque haec res me ipsum saepe sollicitum habuerit , et *Serenissimus Patriae Pater , Princeps ac Dominus , Dominus ERNESTVS LVDOVICVS , Hassiae Landgravius , Princeps Hersfeldiae , Comes in Cattimelico , Decia , Ziegenhaina , Nidda , Schaumburgo , Ysenburgo et Budinga . Academiae nostrae Nutricius munificentissimus* , pro summa qua est clementia ac in bonas artes earundemque cultores benignitate , inter alia , quibus immerentem me clementissime ornauit , gratiae Principis documenta , hoc quoque extare voluerit , vt Extraordinarium , Medicinam , in hac Ludouiciana nostra , vna cum Philosophia Naturali , per integrum septennium hactenus a me exculta atque tradita , docendi munus mihi benignissime demandarit ; hinc , quando iam sub noui muneris auspicia publice , de argumento conueniente , verba facienda sunt , operae pretium me facturum existimaui , si *veram ad veram Medicinam perueniendi viam*

* De Cognosc. et curand. passion. animi

viam animo paullum perlustrarem atque commonstrarem: quod dum facere sustineo, benevolentiam vestram, Auditores, quotquot adestis, omnium ordinum honoratissimi, et patientiam mihi ad semihorae spatium humanissime exoro.

Veram ad veram Medicinam viam inuenire problema fit. Dari omnino atque existere artem medicam, de quo mirum profecto est, et olim et nostra aetate qui dubitarent extitisse, eo confidentius hic mihi concedi postulo, quo clarius summa ipsius utilitas cuius quotidiano vsu innotescit, et quo solidioribus argumentis iam suo tempore Hippocrates *libro de arte*, nec non Auctor libri *de Prisca Medicina*, nostro vero aevo inclytus Schellhammerus *libris de Natura sibi et Medicis vindicata*, prae aliis existentiam ac certitudinem eius euicerunt atque demonstrarunt. Haec nobilissima ars eum in finem, uti nemo non intelligit, hominibus concessa est, ut in hac vitae nostrae, mille in perniciem ipsius conspirantibus, expositae et coopertae rebus, fragilitate ac instabilitate, sanitatem nostram incolumem praestet, praeuisa mala amoliatur, ingruentibus obluetur, et ab omnibus, quae iniuriam vlllo modo eidem inferre possent, tueatur: tum ut eidem labefactatae et laboranti subueniat, morbisque deiectam erigat ac restituat: et denique, ut vitam, quam fieri potest, diutissime producat, et senii ingruentis infirmitates diu multumque moretur, suspendat et arceat. Quemadmodum vero ea artium est natura, ut rem aliquam tanquam materiam, ad producendum ex illa nouum aliquid, accomodate, singulari opera tractent et ita tandem disponant, ut sublatis aliis, aliis correctis ac immutatis, id quod per illas expetitur, inde resultet et producat, atque sic artificibus tria, quibus absoluuntur, et in quibus tota illarum perfectio et essen-

tia consistit, considerata, praebeant: finem, vti scholae loqui amant, subiectum et instrumenta: ita etiam in arte salutari, ad id, quod efficiendum et in medio constituendum, ad quod tendit omnis labor et industria, et propter quod omnia fiunt, quae in arte fiunt: deinde ad materiam siue subiectum, quod tractamus, quod immutamus, et in quod finem artis introducere cupimus: et demum ad instrumenta, media, adminicula, quorum opera et beneficio subiectum ita disponimus, vt finis introducatur, atque voti nostri compotes fiamus, oculos animumque intendere nos oportet. Illud est recta valetudo ac integritas. Istud homo pluribus rebus, ad sanitatem protrahendam morbosque inferendos indifferenter, immersus, vacillans, aegrotus, imbecillis, declinans. Hoc media et medicamenta determinatis in relatione ad hominem * viribus instructa.

Quid recta sit valetudo, et in quo consistat, perspectum habere nequimus, antequam quid sit homo, quibusue partibus constet et absoluator, exploratum habeamus. Hominis Naturam duarum consociatione partium, alterius cogitantis, quam animam siue mentem appellamus, alterius extensi quam corpus dicimus, absolui, quiuis se ipsum omnesque actiones suas excutens, facillime apprehendit: quicquid enim motuum, quicquid operationum in nobis obseruamus, id omne vel cogitationibus vel motionibus corporeis erit adscribendum.

Corpus esse congeriem infinitorum filamentorum siue fibrillarum, in formam membranarum, funium, trabium, canaliculorum, receptaculorum, organorum motricium, ad regulam, omnibus regulis mathematicis exactiorem, ita efficto-

* Medicamenta extra relationem ad corpus non sunt medicamenta, nec, nisi recte vtentem sortiantur, id, quicquid hoc est nominis, sustinere possunt,

effectorum et coaptatorum, vt machinam exhibeant infiniti artificii, fulcimentis suis, funibus, vectibus, prelis, folliis, planis inclinatis, trochleis, filtris, cribris, similibusque, quae machinae exquisitissimae contextum absoluunt, organis instructam, machinam ex mille machinis conflatam; omnesque huius machinae partes ex infinitis fere minimisque vasculis, admirabili coniunctione inter se nexis apteque colligatis, conglomerari, felicissima tot solertiorum Anatomicorum industria, speciatim celeberrimi RVYSCHII*, Amstelodamensis, cuius laboriosae pariter ac felici assiduitati merito assurgit ubique doctior orbis, artificiosae iniectiones ita iam patefecerunt, vt suis prope quisque sensibus comprehendere possit, atque

Ante oculos interque manus sint omnia nostras. Id praeterea non minus euidentissime constat: hanc infinitorum vasculorum compactionem, cum fluido spirabili aëreo, tum massa purpurea, particulis mole, agilitate moleculaque variis constante, nec minus ad deriuationem quam secretionem diuersorum humorum apta, et turgesciente, ita animari, vt mutuo partium solidarum et fluidarum se inuicem cientium motu, vniuersa humorum moles per vasa deriuetur, corpus circumeat, partesque omnes riget, et succos cuique vtilis, alendo, gignendo, sentiendo, mouendoque necessarios elargiatur, superfluos ac inutiles eiiciat, omnes ductus, villos, fibrillas conuenientibus humoribus plenos tumidosque reddat, et viuudum caloris sensum vimque omnem elasticam et motum membris singulis affundat; sic vt ex hoc ordine atque concentu partium mutuoque in se agentium motu omnes tam diuersae tamque mirificae

C

rerum

* vid. *Epistol.* et *Thesaur.*

rerum in corpore humano mutationes actionesque proficiantur.

De mente siue anima experimentis ratiociniisue non vnus compertissimum habemus: eandem, et praestantiore essentia donatam et eminentioribus actionibus destinatam, ea lege corpori consociatam esse, vt huius quidem motuum vitalium non praecise causa sit, corpus tamen varia ratione afficiat, motiones in cerebro primo excitet easdemque dein per neruos in omnia membra diffundat, motusque varios pro voluntatis arbitrio conuenientibus organis imperet et affectibus siue motibus subitis et concitatis agitata corporis habitum modo constringat, modo pandat, laxet, modo vehementer et inordinate concutiat ac fluidorum motus, non sine euidenti corporis vel emolumento vel detrimento, aut excitet, aut coerceat cohibeatue, aut turbet. Quod a corpore vicissim afficiatur, et non solum excitatas in sensuum organis motiones, ac ad cerebrum propagatas, occasione motitationis fibrillarum cerebri medullarium, suscipiat, sed et corpore male affecto ipsa non minus aerumnas et molestiam patiatur.

Ex quibus clare elucescit, vitam *humani corporis* reciproco partium fluidarum solidarumue motu, massae inprimis purpureae circuitu; *hominis* vero mutuo corporis huius viuentis, et mentis ratione gaudentis commercio absolui: quandoquidem omnes actiones, quibus viuere hominem cognoscimus, inde manifeste fluunt ac deducuntur. Proinde nec arduum iam erit demonstrare, aut dictu difficile, quid secunda valetudo sit ac integritas? scilicet quod quilibet naturali colligendi vi ac recta ratione facile videt, motuum illorum vigor, et cum partium fluidarum et solidarum, tum mentis et corporis concordia et aequilibrium, siue ea partium in se mutuo agen-

agentium proportio, qua et actionum corporearum liberum exercitium et mentis animique vigor conseruatur; sicuti quid aduersa sit valetudo, quid imbecillitas, declinatio, morbus? perspicuum quoque nunc est atque euentissimum. Nihil nempe aliud quam integritas haec deprauata, vigor labefactatus, motus imminuti, nimis concitati, perturbati ac destructum vtroque aequilibrium.

Instrumenta tandem Medici sunt res naturales, in quarum possessionem nos misit benignitas diuina et misericordia, ea partium habitudine ac viribus donatae, vt corpori, prudenti consilio, applicitae varios et in solidis et in fluidis partibus effectus producant, ac pro variis, quae circumstant conditionibus, vitales illos motus modo excitent, modo compescant, modo restituant, in ordinem reducant ac moderentur.

Atque ita iam vniuersae Medicinae ratio in aperto est. Ecquis enim non facillime hinc perspicit aut intelligit? Medici, quem modo ministrum ac imitorem Naturae cum Hippocrate et Galeno, modo Consiliarium amicumque Adiutorem cum illustri Boylio, non sine ratione appellant*, officium totum in eo esse, vt, exploratis prius vi naturae humanae, viribus corporis et animae in se inuicem agentium, vi vitae et morborum, nec non virtutibus remediorum eorumque ad hominis naturam relatione, prudenti horum ad se inuicem applicatione, motus vitales supra memoratos, vtriusque ge-

C 2

neris

* Ministerium Medici in Natura valente tuenda, oppressa aut collapsa erigenda, cum morbo pugnante adiuuanda, nimis concitata reprimenda, aberrante in ordinem redigenda, fusius prosequitur Excellentiss. Schelhammerus de *Nat. sibi et Med. vind. L. II.* quo pertinet etiam elegantissima supra laudati Gothofr. Bergeri de *Medico Naturae Adiutore Dissertatio.*

neris partium aequilibrium, concordiam, harmoniam, non temere turbet aut praepediat, impedita exfuscitet, immoderata temperet, cohibeat, inordinata aequalitati restituat, in viam reducat, et, vt magni Verulamii verba* mea faciam, organum corporis humani musicum quasi, operosum et exquisitum, ita tendat ac pulset, vt reddatur concentus minime discors et insuauis. Id vero quam difficile non raro fit, diligentissimi quique vsuque artis exercitatissimi fateri coguntur: cum, propter naturae humanae inconstantiam et varietatem et machinae ex tot machinarum apparatu conflatae subtilissimum pariter ac delicatissimum artificium, eamque partium omnium harmoniam et consensum, vt ex minima minimae saepe partis labe, pluribus aliis, ac vniuerso corpori ingens periculum immineat, multa in homine et morbis contingant, quorum adeo abstrusa et implicata cognitio est, vt et ingenio et vsu praestantissimorum virorum aciem eludant atque industriam. Quamobrem merito in eo omnes curas cogitationesque configimus, vt viam inueniamus, qua omnes has difficultates promte, quantum per humanam imbecillitatem licet, expedire possimus. Neque vero illa post ea, quae strictim iam, sed ita, vt ad rem sufficiant, commemorauimus, latere vos potest Commilitones suauissimi. Machina est, quam curandam suscipimus: motus sunt nobis dirigendi: vires motrices, nifus, nutus moderandi et in debita ad se inuicem proportionem seruandi: vires remediorum explorandae: relatio, quam haec habent ad corpus humanum vivens perquirenda. Quid faciat? Quo se vertat vestra cum animi curioso ardore diligentia? Num veterum fabulas de calido innato, humido radicali primigenio, tot animarum facultatibus, formis informantibus, substantialibus, spiritibus, quatuor elementis,

humor-

* *De Augment. Scientiar.*, L. IV, cap. II, p. m. 222.

humoribus, atomis, earundemque congressu, qualitatibus primis, occultis, vos addiscere iuuabit? Num horrida Paracelsi aut ambitiosa Helmontii Philosophia vos imbui oportebit? Num barbaris horum vocabulis, aut rerum verborumque incantamentis, ipso sonitu terribilibus, quibus Zoroastris manes et omnem Magorum scholam euocare liceret, animum vestrum repleri, conducibile erit? Num suauissima recentiorum somnia: de spiritibus lucidis, igneis, explosivis, de vno, duobus, tribus corporum principiis, materia aetherea nunc naturali, nunc peregrina, incognitis particularum, pororum et meatuum dispositionibus, figuris, ignibus, flammaque vitalibus, accensionibus, effervescentiis, fermentis, de origine morborum ex sale, sulphure et mercurio, acido et alcali, acido et viscido, similibusque ingeniosis, in plausibilem cum rebus conuenientiam coactis vniue vel alteri experimento superstructis hypothesibus, vos admirari expediet? Aut potius, concessio, diuina gratia, vero sensuum et intellectus usu, Naturam intueri, eandem ducem sequi, ipsam machinam omnemque ipsius apparatus, rationem et conditiones expendere, doctrinam de motu, viribus mouentibus, vi percussione, potentiis mechanicis, quaeque leges motuum naturalium, vires corporum in se mutuo agentium plenius planiusue persequitur, exploratam ac penitus perspectam vobis reddere vtile erit ac necessarium? Ipsi, iam enim potestis, diiudicate. Vestro iudicio omnia hic permitto. Quid animi vobis est? Num artificem, cui horologii aut molendini apte reparandi negotium datur, magis idoneum ad id efficiendum existimatis, qui speciosis argumentis sustinere nouerit, rotas, quibus horologium absoluitur, pondus, quod appenditur, aquam, ventum, quorum influxu molendinum agitur, totamque machinam ex

vna, duabus tribusue, vel etiam quatuor partibus, tanquam elementis, constare, aut horum operationes, forma informante, Archeo, Gas, Blas, aethere peregrino cieri; quam qui totius artificii rationem, partium conditiones, machinae structuram, vim, fabricam, aquae, venti ad eandem relationem, horumque vires et qua ratione hae augendae, imminuendae moderandaeue sint, accurata omnium, quae circumstant, conditionum penetratione, repetita experientia, subactoque per crebros casus iudicio, edidicerit? Sic est, Nobilissimi Commilitones. Machinae humanae viuentis, eiusque partium, naturam, cum quoad constitutionem, tum quoad vires, tam in statu naturali, quam praeternaturali, medicamentorum item naturam ac virtutes, et quod potissimum, potentias vtrunque in se inuicem agendi, percognitas debet habere Medicus; tum etiam praesentia animi ac vnum ex altero inferendi facultate * instructus esse, vt vim vitae, vim morbi, vim medicamentorum aestimare ac supputare, et modum procedendi per ratiocinationem ex certis datis colligere possit: sic enim prudenti selectu et applicatione solutu non adeo difficile fuerit palmarium illud Medicorum problema: Inuenire morbo remedium. Natura horum atque vires deteguntur effectibus exterius apparentibus ac sensuum fide, vsu tractandoque, cognoscuntur et circa particularia exercitio ** obseruationibus diligenter institutis, suntque totidem data, certa, totidem nota, explorata, quorum accurata cum se inuicem comparatione, more Geometrarum, immota, ex necessaria consecutione, conclusione, ignota

* Haec est illa decantata Aristotelis ἀρχή, quam Hippocrates hinc inde, sub nomine φύσεως comprehendit.

** Illo πρὸς τὴν φύσιν, de quo Galenus 4. de loc. aff. c. 1, et 1. 2. de cris. c. 9.

ignota siue quaesita inuenire licet. Vera ergo ad veram artem perueniendi via est: diligens, diuturna constansque *Observatio*: et infallibilis ex obseruatis, recto prudentis animi sensu, *Ratiocinatio*. Illa experientem, haec prudentem, vtraque verum facit Medicum. Quod erat inueniendum.

Haec est via Hippocratica, quam senex venerandus vbique in scriptis suis commendat. Hac ex phaenomenis, secundum veras argumentandi leges, illatione, hoc ἐκ τῶν φαινομένων μεθοδεύειν, pro illa infantili Medicinae aetate, ab experimentis illorum temporum tantum instructus ea praestitit, quae vix in hominem cadere videbantur, totque ac tam praestantes veritates in arte detexit, quas omnis non satis mirari potuit aetas et quas ventura quoque suspiciet. Quo eundem peruenturum fuisse putatis, si tot data, tot inuenta politioris Physicae, cultioris Anatomes, sanioris Chymiae, exactioris Mechanicae, quae ad nostra vsque tempora in lucem dies extulit et longioris acui diligentia, et si, qua seculum hoc superbit, perfectior et magis completa ratiocinandi methodus per Algebram nouam, Geometriam, vti vocant, Cartesianam, siue Analysin speciosam, aliasque summorum nostri aevi Geometrarum, euidentem certitudinem vbique in signis ferentium, vias, eidem innotuissent? Supputate hinc, quo vestra virtus, si seculi felicitatem, prudentis animi consilio, amplecti sibi que propriam reddere velit, possit eniti. Aurem iamdudum vobis vellicarunt et admonuerunt viamque ex parte praeiuerunt plures excellentissimi et in seculi gloriam nati viri. Prostant in vsum vestrum tot egregia in hoc genere ingenii monimenta, tot illustrium Societatum et Collegiorum labores. Neque

que enim latere vos potest aut debet, quid exactissima hac, inprimis obseruandi methodo profecerit vsu mēdendi eminentissimus Thomas Sydenhamius, Anglus, quique Phaenomenorum causas curatius simul inquisiuit, Laurentius Bellini, Italus. Quid huius popularis Sanctorius Sanctorii, multo ante, in fluxu illo perenni transpirationis insensibilis ad stateram aestimando et ad leges reuocando, hac methodo, triginta annorum experientia, praestiterit. Quomodo doctrinam de quantitate et proportionē euacuationum, effectibus suppressionum, detectis plurimorum morborum fontibus, determinatis salubris et insalubris vitae principiis, conditisque vtilissimis sanitatis regulis, pene absolutam dederit. Manibus vestris teruntur opera Georgii Bagliui, Medici Romani, qui, libello de *Praxi Medica ad priscam obseruandi rationem reuocando* totius orbis eruditi applausum nuper reportauit. Nostis aut nosse potestis, quam laudando non satis conatu, mathemata in Medicinam conuenientissime inferendo, commoda vestra promouere enixiori opera contenderit vir sagacissimi ingenii, Medicus ac Philosophus per mathematicas artes vere magnus et legum Naturae peritissimus, Archibaldus Pitcarnius, Scotus, in *Opusculis* vera pariter ac vtili eruditione medica refertissimis. Nec minus cognitissimum habetis Johannis Alphonsi Borelli de *motu Animalium* doctissimum opus, eoque nomine potissimum etiam laudandum, quod leges motuum naturalium secundum mathematicorum regulas curiose persequutus fuerit, quamuis, ob nondum detectas machinae nostrae proprietates, quae recentissimis innotuerunt, his multa perficienda reliquerit: vt celeberrimorum viro- rum, Johannis Bernoulli, Bartholomaei de Moor, Jacobi Keilii, Cheynei *, Meadii, Freindii, Boerhauui, fimi-

* Lectu cumprimis dignissimum est Specimen huius satis elegans,
df

similiumque cordatorum et saniorum Philosophorum ac Medicorum egregia et vtilissima tentamina hac methodo, secundum naturae ductum legesque mathematicas, suscepta reticeam. Nec quid, quoad observationes praesertim exquisitiores, tot illustribus Germanis, Meibomiis, Schroeckiiis, Schelhammeris, Bohniis, Bergeris, Hoffmannis, Ettmulleris, Schraderis, Vateris, Langiis, Zelleris, Camerariis, Lentiliis, Wedeliis, Stahlis hic debeat, et quatenus speciatim, si studium Hippocraticum spectemus, excellentissimi totoque orbe celeberrimi Collegae nostri, Domini D. Valentini, sint merita, quomodo prae aliis ad florida Hippocratis Tempe viam vobis aperuerit, et cursu Medicinae Hippocratico vniuersum Medicorum chorum in perpetuum sibi deuinxerit, minus perspectum vobis est.

Hos sequimini: horum insistite viae: nec quae Mathesin ad summam certitudinem perduxit methodum*, Medicinae minus profuturam existimate. Haec enim est omnium scientiarum quasi clavis, optima discernendi verum a falso via. Hac intellectui omnia, quae sciri debent, ita offeruntur, ut ob claritudinem nihil non intelligi,

D

telligi,

de Incrementis Theoriae Medicae, nouae theoriae februm continuarum acutarum et lentarum praemissum, et a viro doctiss. Abrahamo Vatro, Chr. Fil. diuersis quoque verae et solidioris Philosophiae ac Medicinae, sic dictae, mechanicae specimenibus clarissimo, latinitate donatum.

- * Hanc methodum vniuersalem, quam Mathematici sibi hactenus propriam fecerunt, eiusque leges eleganter prae aliis tradiderunt Illustr. de Tschirnhausen in *Medicina Mentis*, et doctissimus Christ. Wolffius im *Kurzen Unterricht von der mathematischen Methode oder Lehr-Art*/so in denen Anfangs-Gründen aller mathematischen Wissenschaften enthalten; nec non in *Commentatione de methodo mathematica, in Elementis Mathes. vniuersae*.

telligi, ob certitudinem nihil in dubium vocari possit. Hac Analystae, Geometrae, Mathematici, id effecerunt, ut disciplinae Mathematicae omnibus aliis euidentiali ac certitudinis palmam praeriperent *. Hac quousque licet enituntur. Hac magnarum inuentionum sibi conscii sunt. Hac scientiam consequuntur, quae vnica et sola est scientia, et quae, si error committatur, errantem erroris conuincit. Quidni igitur eandem et vestram, atque sic artem vestram ab insuperabilis difficultatis et incertitudinis labe immunem reddatis! Scio equidem, quid hic reponi possit: Artem Medicam verae demonstrationis ac scientiae incapacem esse, tum ob inextricabile machinae humanae prodigium, tum ob instabilem illius aeque ac medicamentorum conditionem.

At, nulla haec difficultate diluuntur. Ad primum enim regeo, non impossibilia statim esse, quae difficilia: et intentam ac diligentem curam cum pertinaci labore et

* Eleganter, nec sine ratione, Erasmus Bartholinus: *Cum nostra Philosophandi ratio, inquit, principia certa et euidentialia primum quaerat, ex quibus, indubitanter affectiones entis corporis demonstret, tum distinctas proponit consequentias et cuncta apodictice, non litigiose, explicat. Quis non laudabit, et suspiciet hanc ingenuitatem et simplicitatem inuestigandae veritatis, quae nullo furo, sed naturali venustate, nitorem addit vilioribus, et quicquid in mundi ambitu continetur, vel est in quotidianae vitae commercio, non tantum explicat, sed demonstrat? Sic per humilia erepit, ipsique abunde est non culpari neque laessi ab optimis; dum hac ratione aliquid sibi prospiciat munimenti, aduersus se circumfundentia dubitationum agmina. Reiicit continuo omnem rationem ambiguam, perplexabilem et interpolatricem veri. Vnde non difficile ei est, veritatis faciem nudare, personam illi detrahere et velamenta argumentorum apparentium; cumque omnia demonstratione muniat, disputatoribus silentium imponit, et Sophistarum frustratur distinctiones, de Natur. Mirabil. Quaest. VI. p. 79.*

et diuturna inquisitione maximas saepe difficultates expugnasse, superasse. Nihil est tam difficile, quin quaerendo inuestigari possit: *nihil*, secundum Senecam, *tam arduum*, quod non humana mens vincat, et in familiaritatem perducatur assidua meditatio *. Artium et scientiarum aliarum incrementa magnaeque perfectionis gradus expendamus. Quam multa nostra aetate facta sunt, fiunt, perficiuntur, quae superioribus temporibus posse fieri negabant? Totius mundi intueamur stupendum prorsus artificium. Quis sub Astronomiae incunabula possibile credidisset, tot siderum colligere metas, tot confusissimos ratione nostri, veros, apparentes, maiorum mundi corporum motus et obliqua curricula definire, directiones, retrogradationes, stationes, ad leges vocare, et regulis nunquam fallentibus includere, vices dierum et noctium, rationem anni temporum, tempestatum, totiusque exercitus coelestis secreta et sphaerae mundanae fabricam ita quasi expedire, vt omnia euidentissime comprehendere, accuratissime demonstrare, perniciosissimas rotationes anteuertere, et omnium corporum positiones, occursum, quibus interpolari dies solet, defectiones ac phaenomena, post aliquot secula demum ventura, euentu minime fallaci, ad dies, horas, minuta praedicere et orbi annunciare possimus? Possibile tamen hoc reddidit felix tot celeberrimorum virorum industria. Qua via quaeritis ac methodo? Ipsissima hac modo laudata. Naturam multa sedulitate ambibant, intuebantur, quidue illa faceret aut ferret exacte annotabant; vigili cura noctes sideribus impendebant, perambulabant oculisque admovebant discreta spatiis suis longissimeque distantia coeli lumina; conuersiones, cursus eorundem, certis temporibus absoluendos, varios positus, horumque ef-

* de Ira L. II, c. 12.

fectus crebra animaduersione perspectos sibi reddebant, atque docti curiosique spectatores singula, quae notari merebantur, excutiebant; continuatis per secula observationibus explorata, data, colligebant, dabantque operam, ut si quid minus recte ab Antecessoribus observatum esset, corrigeretur, si quid ignoratum vel omissum, adderetur; scientiam quantitatis, dimensionum, numerorum accommodatae in subsidium adferebant, leges motuum perquirebant. Et sic, dum felici coelum petierunt sapientia, eundem terrae intulerunt: hoc est, astrorum scientiam in altissimo fere suae perfectionis fastigio collocarunt. Quid si simili ratione motus et phaenomena in microcosmo, mundi maioris compendio, in quo sapientia, virtus, providentia similis elucet*, pertinaci diligentia, observaremus, observationes cum Antecessorum observationibus conferremus, scientiam quantitatis, dimensionum proportionum, aliasque, quae huc pertinent, utilissimas artes in subsidium adhiberemus, cur non et hic ad maiorem artis perfectionem venire liceret? Id ad minimum consequeremur utilitatis, ut, qua scire datum esset, euidenter perspectum haberemus.

Corporis deinde atque in illud agentium rerum, cum naturalium, medicamentorum, tum sic dictorum praeternaturalium, ea est conditio, ut et illius et harum actiones, non secus ac maiorum illorum mundi corporum, pro cuiusvis constitutione, certis ac definitis legibus

* Ne igitur mireris, sunt verba Galeni, Lunam et universam aliorum astrorum seriem summo artificio dispositam esse, neque attonitum magnitudo eorum vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuituum certa descriptio reddat, adeo, ut si inferiora haec comparaueris, parva tibi videantur esse et omni ornatu carere. Etenim sapientiam, et virtutem, et providentiam hic quoque similem inuenies. L. III. de Usu Part. C. 10.

bus sint adstrictae, ita vt applicato agente vno vel pluribus ad aliud, certus ac determinatus effectus necessario, ex aeternae veritatis principiis, sequatur. Sic medicamenta omniaque in corpus agentia, pro sua conditione et relatione ad ipsum corpus, necessario agunt ac patiuntur: haud aliter ac instrumenta mechanicorum, pro forma sua et fabrica et ad artis subiectum relatione, certos ac determinatos, mechanica necessitate, producant effectus, aut etiam a materia resistente patiuntur. Ergo, si obseruatis probe omnibus, quae cum ratione suscipimus, res naturales ad se inuicem, medicamenta ad hominem admoueamus, cur non eadem necessitate sequeretur effectus? Ex quo euidenter elucescit, Medicinam artem esse in se certissimam, ac verae demonstrationis omnino capacem. Nec est, quod quis obmoliatur: Medicum sine suo saepissime excidere, et, secundum Hippocratem, post multum exhibitum negotium, multum apparatus, multamque de se excitatam opinionem, tandem nihil opis adferre aegro: darique praeterea morbos, quos incurabiles esse praestantissimi Medicorum experiantur. Verissima haec sunt: non repugnamus. Sed quis ab omni bonae mentis et rectae rationis usu usque adeo destitutus est, vt non intelligat, vitia artificum ipsi arti fraudi esse nec posse nec debere. Deinde quis vnquam arti vitio verterit, si exquisitissimus artifex, omni quae in hominem cadere potest artis scientia et conquistissimorum instrumentorum apparatu instructus, post multam adhibitam diligentiam, ex indocili, putri, tortuoso et in nodos recuruo ligno, non possit edolare mercurium? Quis artis Medicae hinc vitium esse contendere, si fatiscentibus et fractis organis, humoribusque vapescantibus, machina humana aut remediorum vires eludat, aut actionem sustinere nequeat? In subiectum ha-

bile atque capax aequae feliciter, nisi voluntas diuina ob-
stiterit, finem suum introducet peritus et rerum suarum
satagens Medicus, ac suum in aliud quodcunque sub-
iectum Mechanicus. Vnde felix semper erit Medicus,
qui in hominem sanitatis recipiendae capacem incide-
rit, et secundum artis praecepta recte egerit. *Prosperere
succedere*, inquit Hippocrates, *est recte facere, hoc fa-
ciunt qui sciunt* *. Sat enim fortunatus est, qui prudens
est, et ex artis praeceptis operatur. Sapiens pol! ipse fa-
cit fortunam sibi: nec eget coeca et fortuita illa, quam
ineptum vulgus, aut illi etiam, qui supra vulgus sapere
volunt, in ineptissimis plerumque magni aestimant, sine
mente, fortuna: quin potius ridet illorum superstitionem
et insulas futilitates, probe gnarus, pessimi argumentum
turbam esse, illudque Senecae ad animum reuocans:
*Quaeramus quid optimum factum sit, non quid usitatissimum:
et quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat, non
quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit* **.

Veram ergo, hac laudata via et methodo, sectemur Me-
dicinae scientiam, et ne Galeni illud, conquerentis, quod
Medici essent parum studiosi veritatis et earum artium,
quae Medico sunt necessariae *** , in nos quoque cudi
possit, agite! veritatem maxima animi contentione inda-
gemus,

* de Loc. in homine. Medicina itaque mihi iam tota inuenta esse
videtur, quae sic habet, et quae docet singulas et consuetudines
et occasiones. Qui enim sic Medicinam nouit, minime fortu-
nam respicit aut expectat, sed et citra fortunam et cum fortu-
na, recte faciet. Constans enim ac firma est tota Medicina
et doctrinae optimae in ipsa compositae, minime fortuna egere
apparent. Et paulo post: Mihi enim soli hi fortunate asse-
qui, itemque infortunate non assequi videntur, qui recte quid
et male facere sciunt. Idem ibid.

** De Vita Beat. Cap. II.

*** L. I, method, med, c. 1.

gemus, eandemque carissimam habeamus, nec artes egregias et vtilissimas negligamus.

Ad VERITATEM vbique consequendam, id ante omnia operam dare nos oportet, vt, cum magna pars bonitatis sit, velle fieri bonum, primo voluntatem adferamus, eamque constanti ardore excitemus. Deinde vt naturalis Logicae regulas ab excellentissimis veritatis inquisitoribus vbique fere inculcatas et ab acutissimo pariter et elegantissimo Gallico scriptore * nuperrime quatuor hisce comprehensas, probe teneamus. Scilicet, prout Gallicorum verborum sensum verbis latinis reddere libuit, primo **, vt summa vbique familiaritate coniunctam habeamus euidenciam, vt in deliciis nobis, nihilque ea prius nihil antiquius sit. Secundo, vt a, foecunda illa errorum matre, praecipitantia, cum in obseruando et inquirendo, tum in diiudicando, omni studio caueamus. Tertio, vt attentionem nostram attentissime custodiamus, siue, vt intendamus animum, et persistamus in attentionis negotio. Et quarto, vt constantem ac confirmatam animi tranquillitatem seruemus, qua passionibus, quae tenebras et coecas nubes obducunt ideis, attentionem turbant, eandemque ab eo, quod fixum immotumque tenere oportebat, abducunt, et ad illud, a quo declinare debebat, detrudunt, locus denegetur.

Aut,

* I.P. de Croufaz, dans le *System. de Reflex. qui peuvent contribuer à la netteté et l'étendue de nos connoissanc. ou Nouvel Essai de Logique.*

** 1. à se familiariser avec l'évidence, à s'en former le goût et à ne se rendre qu'à elle. 2. à se garantir de précipitation dans ses recherches et dans ses jugemens. 3. à soutenir son attention, et enfin 4. à se confirmer dans une tranquillité de cœur, qui previenne les passions, lesquelles répandent les ténèbres sur nos idées, troublent nôtre attention, la détournent de ce qui devoit la fixer, et l'attachent à ce dont elle devoit se distraire, P, I, C, I. §. IV.

Aut, si forte Gallicum exosi scriptorem, eadem fere ab ingenuo Germano, verbis saltem mutatis, audire malitis: en casum in terminis, ab Illustri de Tschirnhausen, viro immortalibus in bonas artes meritis toto orbe celeberrimo, maximaeque apud omnes vere ac solide eruditos existimationis, in der gründlichen Anleitung zu nützlichen Wissenschaften/ absonderlich zu der *Mathese* und *Physica*, wie sie anjezo von den Gelehrtesten abgehandelt werden/ eleganter expeditum. Verba ita habent *: Was nun also anlangt die Erkäntnuß der Wahrheit per vias sensus et intellectus, so ist bevoor aus zu mercken/ daß/ wer was rechtschaffenes hierinn gedenckt zu thun/ drey Sachen hierzu erfordert werden. Das erste ist/ daß man sich eine beständige Liebe zur Wahrheit erwecke. Zum 2. einen richtigen Weg/ dieselbe gewiß zu erkennen/ erhalte. Endlich 3tens/ eine Wissenschaft besonders treibe/ dardurch alle praejudicia wohl abzulegen. Hierzu sind drey Sachen besonders förderlich: Erstlich/ daß man die Jugend so führe und leite durch sensuale experienzien/ die sie in Verwunderung bringen/ aber zugleich von solchem Nutzen/ daß sie die fundamenta der realen Wissenschaften in sich includiren/ damit ihre grössste passion werde/ der Erkäntnuß der Wahrheit sincere obzuliegen. Vor3te/ das studium Mathematicum ihnen bald bey erster Jugend bezubringen. Dann hierdurch werden sie in kurzer Zeit viel richtiger die Wahrheit lernen erkennen/ als wann sie/ ich weiß nicht wie viel Logicken ** durchgiengen.

* §. XI. p. m. 12. seqq.

** Haec non ita accipienda sunt, quasi vsum Logicae plane reiectum cupiat Illustris Auctor, sed quod in mathematicis demonstrationibus, quae, secundum formam ratiocinandi Logicas

giengen. Drittens das Studium Physicum, wie es von den Neotericis tractirt wird / da man alles durch verständliche conceptus erkläret. Dann hierdurch werden die Irrthümer / die uns allen anhangen / und fast durch keine ratiocinia zu redressiren / gänzlich gehoben.

Artes Medico necessariae sunt *Ars condendae experientiae* et *Ars ratiocinandi*, *aliaeque subsidariae*. **ARS CONDENDAE EXPERIENTIAE*** in eo est tota, ut omnia, tum circa hominis actiones, naturales, praeternaturales, tum circa remedia, tum horum relationem ad corpus humanum vivens, phaenomena, siue sponte oblata, siue studio quaesita, siue naturae doctis inquisitionibus sollicitatae quasi extorta, mente erecta, oculis, sensibus excubantibus

Logicas conclusiones pro fundamento habent atque his ipsis constant & absoluuntur, vid. Christian Wolffens vernünftige Gedancken von den Kräfften des menschlichen Verstands / C. 6. regulas concludendi potiores et necessarias, quasi aliud agendo, addiscunt, easdemque sibi familiares reddunt atque, habitus diuturnitate, methodum distincte ratiocinandi ac differendi in mores convertunt pulveris eruditi cultores; vnde majorem hinc illos utilitatem percepturos contendit, quam si plurima Logicorum operosa systemata consulerent. Eleganter hanc in rem doctissimus Gallus, Bernard Lamy, *Elemens de Mathematique. ou Traité de la grandeur en general*, Chap. 1. Ma principale vue, inquit, dans cet ouvrage, ou j'enseigne les premiers Elemens des Mathematiques, est d'ouvrir l'esprit & de le rendre capable de toutes les sciences. Et paulo post: Cependant je traite ces elemens de maniere qu'ils servent de modelle pour toute autre étude, & que l'on pourra, si l'on veut, ne regarder ce qui est ici de Mathematique, que comme des exemples qui rendent sensibles les regles que l'on doit suivre dans la recherche de la verité.

* De Experientia, Experimentis et in iis capiendis adhibenda circumspeditione, legi merentur Erasmus Bartholinus, *de Natur. Mirabilib. Quaest. Academ. VII. de Experimentis*. Francisci

tibus circumspēcte summaque cautela fideliter notet, et quid ex quoque eueniat, et quid quamque rem significet omnesq; reconditos effectus, studio acriore et assiduo, scrutetur, ac in experimentis rebusque sensui subiectis diu multumque versetur. Nec obseruationes prudentum, quorum expertam habemus prudentiam, fidem et integritatem negligat, quin potius quid singuli viderint, quid cunctorum industria longinqua obseruatione contulerit, multa ac intentissima opera exquirat. Ita enim data atque nota plurima sibi comparabit Medicus, ad ignota et quaesita inuenienda.

ARS RATIOCINANDI Medico in primis est excolenda; quod lumen praefert, per quod acies dirigitur ad verum, et quod in ea Prudentia Medica tanquam cardine vertitur. Hic, Nobilissimi Domini Commilitones, vt vterioris Logices, Analytices, Geometriae vniuersalis studium

com-

Bayle *Dissertatio de Necessitate coniungendi experientiam cum ratione in rebus physicis*, quae continetur in *Opusculis Institutionib. Physicis* annexis pag. 309. Roberti Hooke, Angli, *Discursus de methodo Scientiam Naturalem perficiendi, in Operibus posthumis, a Richardo Wallero, Londini, Anglico idiomate A. 1705. publici juris factis, reperiundi*; (vbi methodum experimentandi, methodum ad quaesita respondendi, methodos gradus proprietatum corporum naturalium determinandi, methodos varias secretum naturae agendi modum inuestigandi, denique 28. methodos modos naturae in operando obuios detegendi suppeditat. vid. *Act. Erud. Lips. Ao. 1707. Mens. April. p. 157.* unde optandum esset, vt latinitate donati plurium vsui atque commodis inseruirent.) et nunquam satis, ex merito, laudandus *Christian. Wolffius*, in *Act. Erud. Lips. Ao. 1708. Mens. April. p. 163.* vbi *Leges experientiarum fundamentales* tradit. Confer. eiusdem *Vernünfftige Gedancken von den Kräfte des menschlichen Verstandes* im 4ten Capitel. Quo pertinet speciatim Viri et solida doctrina et vsu felici excellentissimi, Rosini Lentilii, Consilarii nunc et Archiatri, Wirtemberg. Τέχνη καὶ Πράξις

commendatissimum habeatis, et quicquid Aristoteles in Analyticis, quicquid recentiorum felix industria hic boni contulit, vestris vsibus accommodetis, serio vos hortor et obtestor. Nollem tamen veterum Aristotelicorum * Dialecticae vos immorari, non nescius illius, quod est apud Aristonem Chium, in similibus: *Qui Dialecticam profundius rimantur caneros edentibus similes sunt, qui propter exiguum illud, quod nutrit, circa multa ossa morantur.* Quin vestra desideria optime explebunt **, ex recentioribus praeter experien-

nov, id est, Tabula consultatoria Medica, exhibens quaestiones maxime necessarias aegrotis consilium exquirentibus a Medico proponendas, per quarum responsiones in morbi genium certius et ἀνευ ὑπεροχῆ penetrare, indicantium et contraindicantium momenta inuenire, ac in medendi methodo tutius commodiusque procedere liceat. Vlmæ Ao. 1696. in lucem emissa.

* Aeterno cedit Aristotelicis opprobrio, quod, cum solidam et profundissimae eruditionis Logicam Praeceptor reliquisset, perversissimam tamen philosophandi viam ingressi fuerint: cuius hoc maximum ac eulentissimum argumentum est, quod, per viginti seculorum decursus, nec scientiae promotae nec artes excultae, nec veritas detecta, nec rerum causae inuestigatae, nec quicquam praeclari in Naturae Scientia et Medicina, de reliquis nihil dicam, illius beneficio inuentum fuerit. Cum e contrario per dimidium seculi, et quod excurrit, ex quo Galilaeus a Galilaeis, des Cartes, Verulamius, Gassendus alique cordatiores in libertatem nos vidicarunt atque methodum illam veritatem & rerum causas indagandi naturalem, vniuersalem, Mathematicis imprimis familiarem introduxerunt, adeo creuerint tantisque auctibus elatae fuerint artes & scientiae, vt vix umbram ex antiquis seruemus. Exuberarunt abhinc Philosophia Naturalis cum primis & Medicina nouis pariter ac vtilissimis inuentis atque methodus haec ita conciliauit sensum rationi, vt indies surgant artes et adolescant, nec amplius, liceat Clar. Bartholini verba vsurpare, spe tam commendetur quam prouentu.

** Prouida hoc ipsum cura expendit sapientissimus Academiae

rientissimuma longeque doctissimum Philosophum, Erhardum Weigelium, in *Analysi Aristotelica ex Euclide restituta, genuinum sciendi modum tradente*, Gallumque Anonymum, de *Arte cogitandi*, modo laudatus Perillustris de Tschirnhausen, in *Medicina Mentis*, nec non celeberrimus Malebranchius, in elegantissimis de *Inquirenda veritate libris*, quos, in ipsa hac Academia, omnis politioris eruditionis laude insignem quondam Professore, beatae nunc memoriae, publice praelegentem et illustrantem non sine fructu audiui: et cuius vim iudicii orbis eruditus merito admiratur ac stupet, nunquam vobis, ob methodi inprimis dete-

nostrae LEGISLATOR: vnde Statut. Acad. Titul. LV. Logicam in Academia sua tradi vult atque doceri, *resectis et prorsus reiectis omnibus iis, quae plus habent inanis subtilitatis quam, utilitatis, et quae interdum ne quidem ipsi Doctores intelligunt, ac tantum abest, ut discentes, in alias artes aut facultates siue ingressos siue ingressuros innare possint, ut illarum potius corruptelae sint.* Quo pertinet notissimum illud magni Verulamii, iudicis hic non ignorantis, nec osoris maleuoli: *Logica, quae in abusu est, inquit, ad errores (qui in notionibus vulgaribus fundantur) stabilizandos et figendos valet, potius quam ad inquisitionem veritatis; ut magis damnosa sit quam utilis.* Nov. Organ. Aphor. XII. p. m. 27. Eoque nomine Epicurus olim, non veram Logicam, (utpote quam sub alio nomine excoluit, vid. Seneca Epist. LXXXIX.) sed Dialectices subtilitates cauillationesque ad indagacionem veri prorsus inutiles repudiavit, risit, contempsit. Atque ad hos etiam Dialecticos artificii veteranosissimi nodos, uti Senecae Ep. LXXXII. vocantur, siue gyros atque maeandros, a quibus, tanquam Sireniis scopulis, non mediocre periculum esse monet A. Gellius, Noct. Att. Cap. 8. respexit Martianus Capella, quando Logicam, siue Stoicam, aut illam Varronis, uti Vossius de Logic. C. I. existimat, siue Aristotelicorum istam, depinxit. Nempe acri visu, vibrantibus continua mobilitate oculis, crinibus tortuosis, dextram cunctis officiose praebentem, laeva vero viperinas insidias sub pallio occultantem, de Nuptiis Philol. et Mercur. L. IV. de Dialect.

detegendi veritatem, quam euidentia commendat, praestantiam, satis commendandus Iohannes Lockius, in libris *de Intellectu* *. Quibus si iungere velitis, quae excellentissimus ac de vera eruditione optime meritus Collega noster, Dn. Profess. Langius, pro asserenda vera veterum Logica et fundamento omnis Geometricae demonstrationis commonstrando, ad Christiani Weissii Nucleum commentatus est; vt et omni sanioris doctrinae genere longe celeberrimi Hallensium Mathematici, Christiani Wolffii, libellum cui titulus: *Bernünfftige Gedancken von den Kräfften des menschl. Verstands*/et tandem praestantissimi ingenio viri, Croufazii, Lausannensis Academiae Mathematicum Professoris longe meritissimi, *Systema considerationum, quae ad nitorem et extensioem amplitudinem nostrae cognitionis facere possunt, siue Nouum Tentamen Logicae*, pari, cum solida eruditione, elegantia, idiomate Gallico, conscriptum; adhaec, si tot summorum ingenio virorum, Illustrium nostri seculi Geometrarum euidentissimos demonstrandi modos, vobis perspectos reddere non pigebit: sat lucis et artis habebitis, cum rationem, tum artem vestram excolendi, et veritas ac sapientia, suos complexae alumnos, patefacto sinu, reconditos eruditionis et scientiae thesauros vltro offerent. O quam solida, facilia, iucunda futura sunt omnia, cum non opinionibus sed veritate vestra constabit et sciendi et medendi ratio!

Inter reliquas artes Medico necessarias *Physicam*, *Anatomiam*, *Chymiam*, *Botanicam* similesque, in quibus naturam, constitutionem, mixtionem, vires, potentias agendi et resistendi corporum inuestigamus & perdiscimus

E 3

lubens

* Hos optimo iure eximium opus vocat, atque praeclarum, ea in re, exemplum ceteris praeiuisse laudatissimum auctorem censeat ingentium meritorum magnaeque existimationis Philosophus ac Theologus, vir maxime Reuerendus, Ioh. Franciscus Buddeus, *Element. Philos. Theoret. s. Instit. Philos. Eclect. Tom. II, Cap. I. §. 22.*

lubens praetereo *, quod de summa earundem necessitate res est expeditissima. Vniuersam interim MATHESIN, figillatim Geometriam et Phoronomiam, nec non Mechanicam iterum atque iterum vos in pretio habere velim, quod sine his, vti recte prudentiores iudicarunt, omnis de homine scientia lepida tantum erit fabula. Nihil enim hic est, quod non Geometricis ac Mechanicis regatur legibus stet aut cadat. In motu legibus his aestimando tota Naturae ratio est omnesque corporis operationes ex partium structura, vi aeternarum ac indispensabilium Naturae legum, consequuntur: nec proinde nisi legibus his perspectis cognosci possunt. Vnde liquido apparet, cur Hippocrates filio suo Theffalo Geometriae studium et numerorum scientiam maiorem in modum commendauerit **, et cur nostris temporibus omnes fere Mathesecos amore ardeant

* Plurima huc pertinentia vtilissima, praeter doctissimos et celeberrimos viros, quorum, de Medicina recte perdiscenda, consilia, exhibuit Clar. Schelhammerus in *Addit. ad Conringii Introd. in vniuers. Art. Med.* contulit D. Sempronius Gracchus Massiliensis, siue, vt vero nomine vocatur, Samuel Gotthilff Manitius, in *Medico huius seculi, siue Herma Tyroni Medico expeditissimam, qua, ad veri Medici requisita feliciter obtinenda, et misérias pene ineuitabiles prudenter declinandas, eundum, viam monstrante. Dresdae Ao. 1693. publicato.*

** Quod ea non solum vitam ipsius illustrem, gloriosam et ad multa utilem erga humanam sortem efficiat, verum etiam mentem acutior et clarior, vt in arte Medica iuuetur ad id omne, cuiuscunque indiget; et quidem Geometriae cognitio, cum figuris et formis multiplex sit, & omnia cum demonstratione transigat, utilis sit, et ad ossium positus et articulos emotos et ad reliquum membrorum ordinem: et tandem, quod splendidum sit, ministerium habere in re medica eius modi, quod intensiōis ac remissionis partes, cum ex parte inaequales sint, cognitu faciles ipsi, absque errore, exhibeat.

Vid.

deant ac felici auspicio Medicinae illam applicent *. Nec dubium est, quin, si omnes eandem candide amplecterentur,

Vid. *Ep. ad Thessal. fil.* Galenus se ad Pyrrhonorum sectam deflexurum fuisse ait, nisi ab artibus mathematicis fuisset retentus; et Plato, eam potissimum ob causam expetenda mathemata, dixit, ut in omni genere artium et scientiarum assuescamus solidis rationibus: eumque in finem prisco aevo rudes adolescentium animi hisce disciplinis a prima infantia imbuebantur, ut ante veluti cote polirentur et exacuerentur, quam ad reconditoris Philosophiae ac sapientiae penetralia admitterentur. Nec sine grauissima ratione ingens Germaniae Phoenix, literarum instaurator, atque immortale decus, Philippus Melanchton, cum demonstrationes, inquit, Geometricae maxime sint illustres, nemo sine aliqua cognitione huius artis satis perspicit, quae sit vis demonstrationum, nemo sine ea erit artifex methodi. Praef. T. II. in Geometriam p. 81. Hinc quoque Aristoteles per mathematicum docendi genus intelligit exquisitum et omnibus numeris absolutum. L. II. Metaph. C. III. de Coelo c. VII. L. I. Eth. Nic. C. III. conf. hic etiam I. F. Ortlob Praelim. ad Hist. Part.

* *Expertus fuit*, inquit laudatus Erasmi Bartholinus, l. c. *Quaest. VI. p. 81. harum scientiarum studiosi quanti sit hoc duce stipendia facere. Quamvis enim, in hac mortalitate, aditus nemini ad culmen pateat; tamen id saltem praestat, ut conspiciantur in secundo fastigio; et Medici perueniant ad magna compendia sanitatis. Huius enim, ut paulo ante disseruerat, Philosophiae, mathematicae sc. consuetudine, a vero demonstrationum rationisque usu constabit, eorum ingenia facile aliquid mutuari fierique limatiora et in tractatione rerum cuiusque peritiam uberiores et prudentiam perspicaciores. Haec ipsos deducet, non modo ad penetralia Naturae, sed ad sapientiae thesauros. Cum ut pag. 78. habet, infinitorum errorum mater esse possit Peripatetica Philosophiae ratio, si non infinitam disputationem gignere. Quid aliud, pergit laudatissimus vir p. 79. varia illa distinctionum genera, quam meram Logicam, vel potius Metaphysicam sapiunt; neque*

tur, Medicinam a plurimis, si non ab omnibus, opinionibus atque diffidiis liberam et ad altius fastigium, maioremque certitudinem euectam habituri simus *. Optarem, inquit alicubi Illustris ille Astronomorum Coryphaeus, Tycho de

que vllum in Physica, multo minus Medicina, locum obtinent? quae recte dici possunt scrobes effodiendae veritati, vel tormenta cruciandae alienae simplicitati.

- * Si rem paulo curatius expendamus, et si verum fateri velimus, Medicina est pars Matheseos specialissima, prout Physica specialis: quo iam dudum digitum nobis intendit doctissimus Erhardus Weigelius, in *Praefat. ad Physicam Pan-sophicam*. Apertius vero declaravit perspicacissimi ingenii Physicus ac Mathematicus, Iohannes a Leuneshlos, in *Praeloquio lectu dignissimo ad Tract. de Corpore*. Verba, etsi prolixiora, non piget hic apponere, cum Auctor Clar. in paucissimorum sit manibus. Post ea quae hanc in rem fuse differuerat, cum igitur, inquit, multis aliis, ad hanc rem facientibus, breuitatis gratia omissis, Medicina cum Physica eandem habeat tractationis materiam, haec etiam illius fundamenta iaciat, probetque, quae illa sine probatione lubens arripit, praesupponit, atque ad regulas et leges medendi constituendas ac probandas utitur; erit re vera Medicina nihil aliud, quam specialis Physica: consequenter ut Mathesis se habet ad Physicam, ita Physica se habebit ad Medicinam. Et, mehercle! mihi credite, quod in animali oculus est, quod sol in uniuerso, id est in Medicina Physica, et aequae ad solidam huius cognitionem acquirendam est necessaria Mathesis, atque oculis ad videndum opus est, ad indicandum ratione: ut adeo verissime dici possit, ubi desinit Mathematicus, incipere Physicum, ubi desinit Physicus incipere Medicum. Quocirca cum corpus omnino diuisibile, figurabile, mobile, aptissimum atque efficacissimum vinculum sit, quo omnes disciplinae rerum corporearum inter se quam arctissime adstringantur, et quam maxime in vnum coeant; vobis minime mirum videri debet, si statuamus, Medicinae fundamentum Physicam, Physicae Mathesin esse.

de Brahe *, quando de Bartholomaeo Pitisco loquitur, plures eiusmodi Concionatores reperiri, qui Geometrica gnauiter callerent: forte plus esset in iis circumscripti et solidi iudicii, rixarum inanium et logomachiarum minus **. Idem et ego de Medicis opto, et sic idem euenturum confido.

Tandem nec illi praestabili animi Medicinae, PHILOSOPHIAE MORALI, vos operam dedisse poenitebit. Ita enim motionum animi, quarum in seruanda, labefactanda et erigenda sanitate maximae partes sunt, rationem inire, staticen mentis motuum ad staticen motuum corporis, pro seruando vtriusque aequilibrio ***, in quo vita et sanitas, prudenter accommodare, atque affectuum fluctus, a quibus hominum sanitati plus periculi est, quam ab omnibus aliis morborum causis, compescere et moderari noueritis ****. Ita etiam tanquam Medici ratione vtentes, et vitam hominis non vitam machinae affectuum impulsu ductae,

F

* Epist. ad Conrad. Assachum, apud Melch. Adami, in *Vitis Theologorum* p. 840.

** Et mihi quidem, ad mores etiam conducere videtur, eligere illam sectam, quae studium habeat non rixandi, sed inquirendae veritatis: deinde quae amet moderatas opiniones, non capiet plausus indoctorum, praestigiis disputationum, et absurdis sententiis. Qua, non alia ratio melior excogitari potest, ad pacem inter Philosophos conciliandam; qui Philosophiam et Academias tot controuersis vexant, ut videantur pro aris et focis bellum gerere. Praeterea nihil dignius, nec bonis et studiosis quicquam utilius, quam sine vlla contentione verum inuenire; id summa cura studioque conquirere, ut placido animo finem et quasi metam modestissimi cursus prospiciant, ad quam referre sua studia debent: ut rursus vere non minus quam scite differit doctissimus Bartholinus l. c. p. 80.

*** vid. Dissert. nostra de *Aequilibrio Mentis et Corporis*.

**** Lectu hic omnino dignus est, Aloysii Luisini de *Compescendis animi affectibus per Moralem Philosophiam et medendi Artem tractatus*, superiori anno Argentorati recusos,

ductae, tractae, viuentes, vos ipsos regere, vincere, aequalitatem ac tenorem vitae per omnia consonantem tenere, scopulos, quos vitare iubet Hippocrates, quales sunt auaritia, inuidia, calumnia, ambitiosa contentio *, aurae vulgaris vana captatio, et similes, felici fidere praeteruehere poteritis, et ad omnem virtutem vos componere ** addiscetis. Nostis, quid senex vester a vobis exigit: quod vos esse velit καλὸς καὶ ἀγαθὸς ***: *In Medico*, inquit, esse debet, pecuniae contemptus, pudor, modestia in vestitu, iudicium, lenitas, urbanitas, mundities, recta elocutio, superstitionis auersatio et praestantia summa ****. Nec vnquam incomparabilis Grotii, vatis veridici, illud animo vobis excidere velim:

Est

* Solis artium ignaris hoc opus competit, qui ambitiosius contendunt, neque tamen improbitate sua vltro modo praestare possunt, vt aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant. Hippocr. l. de arte. Hi scilicet sunt, vt recte Clar. Sponius *Aphor. Nou. sect. l. p. 5.* illos vocat, qui ex aliorum calumnia quaestum quaerunt, ἐς ἡλεγκὴν ἐμπερούμενοι, quasi artem nundinantes, et qui, vt celebris quidam Ictus, filium suum de Medicinae studio amplectendo dehortaturus, dixit, *incedunt ad lectum viperae instar, aut scorpionis, erecto aculeo, huc et illuc saltitantes, circumspicientes, quomodo calamitatem aut maledicta alteri afferant, vel affingant.* vid. supra laudatum personatum Sempron. Gracchum, l. a. l. II. Sect. II. de Inuidia et Calumniis Medici.

** Hippocrates animaduertere Medicum iubet, vt animum habeat modestum, non solum quod ad taciturnitatem attinet, sed etiam circa reliquam vitam probe compositum. Nam quum talis fuerit, ita pergit, omnibus venerandus ac humanus indicabitur. de Medico. conf. Casp. Hoffmanni *Isagog. Med.* a Clar. Brunone edit. p. 24. 25. 56. 80. 90. 128.

*** de Medico.

**** de Habitu decent.

*Est aliquid morbis, plus est, mihi crede, mederi
Moribus, atque animis ferre potenter opem.*

*Pessima sunt seculi contagia: tot male sanos
Inter et aegrotos, qui valet ille valet.*

Haec est, suauissimi Commilitones, regia illa via, qua ad veri Medici nobilitatem adspirare licebit. Hanc si constanter calcaueritis, Medici eritis vere Philosophi, i. e. veritatis vbique amantes, quos ἰατρίκας nuncupat Hippocrates*, h. e. tales, qui, vt acutissimi Schelhammeri commentatio habet, in ipsa arte recte argumentari sciunt, et in vita communi sunt optimis moribus; siue qui et in expugnandis morbis et in prospiciendis futuris, et in ipso viuendi genere, maxima, quae in hominem cadere potest, felicitate vtuntur, et sunt supra ceteros beati**. Tales eritis, si postulatum illud palmarium, *Pietas*, recte se habebit, et eius consecrarium, *Benedictio diuina*, accesserit. Illam colite mecum, hanc confidentissime expectate. Viam, quam hic delineauimus, porro vobis commonstrabo, ipseque praeibo: sequimini me strenue, nec de felici successu vlllo modo dubitate.

Quod superest, DEVM T.O.M. Auctorem omnis nostrae salutis benignissimum, ex intimis animi sensibus

F 2

vene-

* de Habit. decent.

** Qui optimis axiomatis instructus, ἀρχαίους a Natura, ab institutione artem ratiocinandi infallibilem, a consuetudine industriam, ab industria experientiam affert, cum necessum est, esse felicem causarum indagatorem, et Naturae in corpore recte constituto operationes modumque agendi plane pernoscere. Eundem ea turbata in praesentibus cognoscendis, diuinandis praeteritis et prospiciendis futuris oportet esse prorsus excellentem, inquit laudatus Ἰατρίκας Schelhammerus, in Dissertat. qua Medicum Philosophum ἰατρίκας publico examini, pro Loco, quondam Ienae exposuit, eleganti, et quae tota hic legatur ac conferatur, dignissima, Thes. LXXIV. LXXV.

veneror et obtestor, velit vires et animum, ad viam veritatis feliciter prosequendam, nobis addere, scientiam et prudentiam exfufcitare, sensuum et animi nebulas serenare, vt omnes nostri conatus, ipsius honori ac gloriae et hominum saluti vnice destinati, ad fortunatum exoptatumque finem prouehantur. Seruet supremus ille orbis arbiter, protegat *Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum ERNESTVM LVDOVICVM, Hassiae Landgrauum, Principem Hersfeldiae, Comitem in Cattimeliboco, Decia, Ziegenhaina, Nidda, Schaumburgo, Ysenburgo et Budinga: Patriae Patrem, Academiae nostrae Nutricium, Dominum nostrum longe clementissimum.* Largiatur eidem regimen felix et tranquillum, vitamque ipsius, valetudinem, fortunas prouido ac benigno oculo semper clementissime adspiciat ac tueatur. Seruet *Serenissimos Principes, Haereditarium, Dominum LVDOVICVM, ac Dominum FRANCISCVM ERNESTVM, Principes ac Dominos meos aequae clementissimos.* Exaudiat vota nostra, vt, sub coelesti sua tutela incolumes, omni virtute, felicitate et gloria nunquam non laetissime efflorescant. Seruet vniuersam *Domum Principalem*, vt, ipso clementissime annuente, vigeat, floreat, perennet. Conseruet hoc *virtutis et bonarum artium Domicilium,*

lium, ac vt, sua ope et auxilio, totius Academiae salus semper feliciter et in tuto subsistat, *Ludouiciana* virtutis, pietatis, doctrinae opibus insigniter floreat, et nunquam non viri prudentes, fidei, veritatis, integritatis, iustitiae amantes, cum fama et gloria superfint, pro sua gratia et clementia efficiat.

Vobis interea, *Magnifice Domine Rector, Patres Academiae venerandi, Gratiози* inprimis *Ordinis Professores Excellentissimi*, vt me maxime obstrictum profiteor, pro eo, quo me semper prosecuti estis fauore et beneuolentia; cuius et haec ipsa, quam nunc suscipio prouincia, quam voto vestro, applausu vestro promouistis, euidentissimum argumentum est: ita omni ope in id enitar, vt qualem me haecenus, per integrum septennium, experti estis, Collegam, veritatis, publicae salutis et pacis amantem, vestri honoris, vestrorumque commodorum cupidissimum, talem me semper, nec vnquam ab illo mutatum, habeatis. Si quid in me erit studii, si quid officii, id vestrum erit, imo, si per vos licebit,

Ipsemet, aeterno munere, vester ero.

Vobis etiam, *o flos et soboles ingenuae iuuentutis!* vobis denuo polliceor ex animo, me nullo vnquam tempore vestris vtilitatibus defuturum. Qua publice, qua priuatim, semper curae et cogitationes meae vestris temporibus, vsibus, emolumentis deuoueantur.



RECTOR
UNIVERSITATIS GISSENSIS
IOHANNES HENRICVS
MAIVS,

S. Theol. D. et Prof. P. ord. Consistor. Princip.
Adseffor, Stipendiator. Ephorus, Districtus Alsfeld.
et Marburg. ditionis Darmstad. Superin-
tendens,

Generosis et Nobilissimis Civibus Almae Ludovic.
S. P. D.

TRitum peraulgatumque verbum est, quo et Medici recte se
tuentur, quando imperiti existimant, eos posse ac debere
omnes morbos curare, et alii Medicos excusant, si aegrotos,
ipsorum curae commissos, nihil subleuari, sed naturae, quod dicitur,
debitum persolvere, et mori viderint: *Non est in Medico semper re-
leuetur ut aeger.* Sane, non tam Hippocrates, quando impossibile
esse dicit omnes aegrotos sanos facere, quam ipsa experientia testa-
tur, verissimum esse hoc effatum; causae vero rationesque, quibus
id firmetur demonstreturque variae et fere innumerae esse possunt, ob-
viae aliae, aliae minus vulgo cognitae. Nos, prout in mentem ve-
niunt, nonnullas duntaxat indicabimus, ac ceteras illis indagandas
explicandasque relinquemus, quibus plus otii, ingenii et peritiae est
in Arte Medica. Primo, solius omnipotentis DEI opus est, omnes
sanare morbos; indeque valide, inter alia Deitas CHRISTI, Salua-
toris nostri, adstruitur, quod omnes morbos, omnesque male affectos
sanauerit, et potestatem discipulis concesserit, ut daemones expelle-
rent, et omnes morbos, omnesque languores sanarent. Cum igitur
dono isto prorsus singulari hodie praediti haud sint Medici, non est,
quod quis ab iis flagitet, quae ab Archiatro supremo expectanda sunt.
Deinde, morbi quidam incurabiles sunt, ac illi praesertim, quos
DEVS

DEVS ex iusto iudicio aliquando certis regionibus et hominibus im-
mittit; vbi locum habebit aliud prouerbum in vulgus notum: *contra vim mortis non est medicamen in hortis*. Hinc, teste auctore
libri Sapientiae, DEVS Israelitis, cum eos tam grauis bestiarum furor
inualisset, vt tortuosorum serpentum moribus interirent, salutare
signum erexit, non tamen per rem visam, sed per Seruatorem omnium,
quem qui fide intuebantur, seruabantur. Nam nec herba, nec ma-
lagma curauit eos, sed verbum DEI *σωτηριον*, quod omnia sanat.
Porro, etiamsi Medicus omnia ex arte agat, impediri tamen vel vi
morbi, vel aegroti intemperantia, vel aliis modis pene innumeris
poterit, quo minus sanitatem obtineat, quam serio et omni nisu in-
tendit. *Non satis est*, inquit Hippocrates, *vt Medicus faciat quae*
debet, sed necesse est, vt et aeger et adstantes cum Medico conspirent.
Nec sine ratione existimat Galenus: Artem ex tribus constare, mor-
bo, Medico et aegro. Quod si iam, morbo et Medico inter se decer-
tantibus, aeger Medici partes non amplectatur, nec ei sit obediens,
quin potius eundem destituat, morbo accedat, hunc foueat, nutriat,
non mirum est, Medicum, qui vnus est, facile vinci a duobus. Ad-
haec, vt graues auctores dudum obseruarunt, Ars Medica, sicuti Orato-
ria et Mercatoria, ob plures causas, quas hic enumerare longum foret,
haecenus est et fuit certo modo coniecturalis; iam ratio coniecturae,
Celso fatente, talis est, vt, cum saepius aliquando responderit, inter-
dum tamen fallat nos. Morbus eiusque causae, in intimis corporis
recessibus latentes, saepe sensus effugiunt, nec in conspectum se facile
dant, aut ex effectibus et symptomatibus, ceu signis, infallibiliter in-
notescent; imo ita se aliquando, et tum inprimis, cum incipiunt,
tenebris inuoluunt, vt etiam oculatissimos decipiant: quod ipsis sibi,
plus vice simplici, accidisse, Hippocrates et Galenus candide fatentur et
exponunt; atque hic posterior describens affectuum, maxime inter-
norum indicia, subiude dictitauit, se id facere non exacta scientia, sed
artificiosa coniectura. Medicina igitur, secundum Auicennam, non
est ars, quae immutabiliter se habeat, aut a morte securos nos faciat.
Vnde perperam aegri vates esse volunt Medicos, et scire ab iis auent,
quorsum res euasura, moriendumne sit nec ne? Hippocrates non so-
lum fallacem et ad errores procliuem esse dicit certam de omni euen-
tu pronunciationem, et fieri cum nugacitate; sed et integris de pro-
gnosticandi ratione libris conscriptis docet, quam prudens quamque
cautus

cautus esse debeat in praedicendo Medicus, ut sciat, qua conditione, et in quantum ex signis hic vel ille euentus colligi, aegrisque aut aliis praedici debeat, vel possit, ubi plurima non tam necessaria, quam contingentia, et alia aliter euenientia deprehenduntur. Nihil ergo sinistri de Medico suspicandum, si in aegri curatione aliquando parum aut nihil proficiat, quia non adeo aperta via ad finem suum progredi potest. Vnde officium eius non est, quemlibet aegrotum morbo liberare valentemque reddere, sed curare apposite ad sanandum, ac secundum Rationem et Experientiam procedere, quae duo Medicinae fulcra esse constat. Quantum autem istis vocabulis indigitetur, prolixum foret dicere, et Medici potius hoc est, quam Theologi; hancque operam in se suscepit *Vir Nobilissimus, Experientissimus atque Excellentissimus*, DN. IO. MELCHIOR VERDRIES, Doctor Medicinae, et Philosophiae Naturalis in hac Academia Prof. P. ord. celeberrimus, postquam, ob singularem et probatam cum huic Academiae, tum literato orbi eruditionem, a *SERENISSIMO PRINCIPE ac NVTRICIO* nostro munificentissimo, ad extraordinariam quoque Medicinae Professionem vocatus, eique certa spes facta fuit, simul ac occasio dabitur, et locus ordinarii fuerit vacuus, in eum succedendi. Hunc igitur Collegam nostrum honoratissimum, ut diuinae Artis Medicae aestimatores et promotores, Patres Academiae Conscripti, et Nobilissimi Ciues, *de vera ad veram Medicinam via per Experientiam et Prudentiam*, futuro Iouis die, hora IX. matutina, in solenni Acroaterio docte dicturum, audiant, officiose humaniterque inuitantur. PP. Giesae Dom. VI.
P. Trinit. A. O. R. M DCC XIII.









